



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCXLVI. Soporatus fortis privignus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

CCXLVI.

Soporatus fortis privignus.

Qui fortiter fecerat, bello imminente soporem ab noverca subjectum bibit. Causam dixit tanquam desertor absolutus accusat novercam beneficii.

DECLAMATIO.

ETiamsi, iudices, eventus proximæ causæ satis videri potest etiam in hanc quoque pronuntiasse, primum tamen doloris mei professionem dissimulare non possum, quod novercam ante accusare non potui. Debeo quidem sententiis iudicum omnia: homo tamen gravissimam injuriam passus, adhuc tantum absolutus sum. Verum me quamvis præcipue in hoc iudicium agat ultio talis, illud quidem periculum fallit: hodie constituetis an merito absolutus sim. Inter summa discrimina reip. non fuit venenum

ego deserui. si quis autem ad hanc præteritorum indignationem adjicere etiam formam ipsam iudicii potest, illud certe est quod nulla possit tollerare patientia, quod se mihi contendit noverca beneficium dedisse, vos æstimabitis quid de persona hac sentiatis. non fecisset hoc mater. certe quod mihi satis est, pater non fecit.

SERMO.

Quotiens finiendum erit, primum intueri debebitis, quid utraque pars velit: deinde, id quod vult, quam brevissime complecti. Quare negat venenum esse qui pro reo dicit? quia non occiderit, neque sit mortiferum. Quare dicit venenum esse qui accusat? quoniam medicamentum sit, & efficiat aliquid contra naturam. Ergo non est satis id modo videri venenum quod occidat. sed hæc omnia venena sunt. ad tuam quidem finitionem etiam mortiferum istud erit. Nam cum id ageres ut desererem, desertorem pœna sequatur, etiam id quod deesse huic medicamento videbatur, adjiceres.

DECLA-

1 Qui pro reo dicit.] Lege, pro reo. Gron.

DECLAMATIO.

Veneficii accuso. Veneficam dico, quæ soporem dedit. Unde tibi in hos usus venena? notiora sunt quædam, pernecie & experimento deprehenduntur, adeo ut aliqua publice dentur. ¹ Hoc quid est, quod tu vis vocari in tempus venenum, quo mens aufertur, quo corpus gravatur, ² quo membra solvuntur. Sæpe in scelere virtutis est nosse veneni modum eo magis quod videmus copia constare, quod temperamento quodam ut stetur citra mortem. Si quis accusare te veneficii voluisset illo tempore quo sane non vacabat, si protulisset corpus meum, quod non solum motu corporis familiæ conclamatione excitari non potuit, sed belli tumultu, & fragore signorum, & trepidatione totius civitatis, victurum promitteres? Veneficium scientia docui, veneficium periculo docui: volo dicere & de animo. Potionem istam cui dedisti, quo tempore dedisti? Privigno dedisti. Si alio tempore dedisses, deceptam te putarem, nunc excogitasti potionem, quæ me lege occiderit. Equidem si me interrogas, vixisse me illo tempore non arbitror. Quid enim, pro dii immortales, aut in qua parte naturæ locavit me noverca? Bellum mihi nunciatum est, ³ & ⁴ hominem quem non peregrinatio detinuit, non absentia ulla à periculo civitatis relegavit, quid acti sit manente me intra muros, commilitones mei narraverunt: Dicitur ingens fuisse prælium, commissa utrinque acies, dubia sæpe victoria, & huc atque illuc spes inclinata, cum interim miles in quo plurimum fiducia, in quo maximum momentum videbatur, in nulla parte visus auditur. Quid plus

contin-

¹ Hoc quid est, quod tu vis vocari in tempus.] Distingue & scribe: Hoc quid est? quid tu vis vocari? Respondet dein ipse sibi: in tempus venenum. Gronovius.

² Quo membra solvuntur?] Et postea, Potionem istam cui dedisti. Pith.

³ Et hominem, quem non peregrinatio.] Lege: Bellum mihi nunciatum est, & homini, quem non peregrinatio detinuit, non absentia ulla à periculo civitatis relegavit, quid actum sit, manenti intra muros commilitones narraverunt. Gronov.

⁴ Hominem quem.] Malim, homini. Pith.

contingere potuit hosti si perissem? non alio modo audivi bella quam avorum proavorumque temporibus. At si mihi detur emendatio præteritorum, utinam noverca illud statim venenum dedisset quo vita auferretur! illa potione consumptum tota civitas ad rogum tulisset, celebrasset laudes, etiam temporis discrimen multum attulisset admirationis. Illa dicerent homines, Non tulissemus hæc si vixisset. ¹ Ego, inquit, tantum animo bono feci. Erubescite matres, quæ amplexæ armatos jam liberos, impiæ tamen jam estis mei exemplo. Inventa est ² tota civitate magis amaret una quæ parceret noverca. Non dico de his adhuc quæ secuta sunt: non illam iudicii contumeliam. Interim tamen, quid mihi potuit gravius accidere? Quam ego, dii deæque, perdidit occasionem? Obtulerat deus tempus merita geminandi: venerat dies approbandi, quod fortiter feceram, id non fortunam fuisse. Felices commilitones mei hostium terga vidistis, calcastis cadavera, victoriam publicam clamore læti retulistis: at ego quando pugnandum est, interrogavi, longamque illam novercæ noctem tandem emensus non mente, non gradu constiti, ac mihi vicisse cives meos accusator indicavit. Videor ex magna parte, etiam approbasse causam proximo iudicio. Quo enim modo absolutus sum, nisi illa accusatori dicerem, ³ vis tenuit, & devicta mens.

CCXLVII.

RAPTORIS DIVITIS BONA MARITI UXOR ACCIPIAT. Adolescens locuples rapuit, priusquam optaret puella, misit ad eam propinquos rogatum ut nuptias haberet. Auditis illa precibus, tacuit & flevit. Percussit se adolescens: prius quam expiraret, optavit illa nuptias, petunt bona propinqui & uxor.

SERMO.

Demonstranda vobis est via. Videte quid utraque pars velit, quid

utraque

¹ Ego inquit, tantum.] Malim, tamen. & postea lego, Inventa est, tota civitate una quæ magis amaret, una. Pith.

² Tota civitate amaret.] Scribe: Inventa est tota civitate, magis matre, una,

quæ parceret, noverca. hoc est, una noverca, quæ magis matre parceret. Gronovius.

³ Vis tenuit & devicta mens.] Lege, devincta. Idem.